MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (TEIL II)

Zwettl, 1. Viertel 13. Jh. Seite 243v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Et descendentes in infernum viventes. Maria soror Aa-
ron. quia murmuravit paulisper contra eundem Moysen.
quid enim magnum potest homo in hominem. lepra satis percus-
sa est. Vir ille vir mitissimus. Hic autem contra se dominum a diabo-
lo commotis iratis quod dixit. Pater ignosce illis non enim
sciunt quid faciunt. Quia Moyses ultus est suas oblitus
est iniurias. Sed magnum aliquid de Moyse scriptum est quia lo-
quebatur ei dominus de ore ad os. sic loqui potest homo ad ami-
cum suum. Si autem sermonem ipsius veritatis meminerimus in
collatione alterutrum Moyses peccator est. Ait enim. Ego
et pater unum sumus. et rursus. pater in me manens ipse
fecit opera. Ad Philippum quoque. Philippe qui videt me. videt
et patrem. An nescitis quia ego in patre et pater in me est.
Quam vir iste laudabilis. iste vero est incomparabilis. Aaron ex-
celsus in gloria sua. Statuit illi dominus testamentum sem-
piternum et dedit illi sacerdotium magnum. sed numquam si-
mile illi sacerdotio de quo dicit psalmista. tu es sa-
cerdos in eternum. Quia quamvis magnus Aaron. unxit tamen eum
Moyses sed quid ait Petrus de Iesu. Vos scitis verbum quod fac-
tum est per universam Iudeam incipiens a Galilea post bapti-
smum quod predicavit Iohannes Iesum a Nazareth quomodo unxit
deus spiritu sancto et virtute. O unctio magna. Unde propheta. Spiritus
domini super me. propter quod unxit me ad annuntiandum man-
suetis misit me ut mederer contritis corde. et predicare
captivis indulgentiam. et clausis apertionem. De Aaron
scriptum est. quia post interfectionem contra se Moysen murmuran-
tis populi. apprehendit turibulum et stans gemebundus inter
vivos et mortuos oravit et plaga cessavit. Sed quod apostolus
de Iesu. Qui in diebus carnis sue. preces supplicationesque
ad eum qui posset illum a morte salvum facere. cum clamore
valido et lacrimis offerens. exauditus est pro sua reverentia.
Samuel post mortem. mirabiliter prophetavit rursusque vi-
mortis passus amplius. Hic post mortem resurrexit ambu-
lavit. locutus est manducavit numquam ulterius mortuus
est ut ait scriptura. Christus resurgens a mortuis. iam non
moritur. mors illi ultra non dominabitur. quod enim vivit vivit
deo. Et alio loco. Decebat eum propter quem. et per quem omnia
qui multos filios in gloriam adduxerat. auctorem sa-
lutis eorum per passionem consummare. Item alibi. Christus
semel pro peccatis mortuus est iustus pro iniustis ut
nos offerret deo. mortificatos quidem carne vivifica-
tos autem spiritu. Item. Si confitearis dominum Iesum in ore
tuo et in corde tuo credideris quod suscitavit illum
a mortuis. salvus eris. De quo propheta. Ipse autem vul-
neratus est propter iniquitates nostras. attritus est propter

scelera nostra. Et dominus posuit in eo iniquitates omnium
nostrum. Introducamus David de quo scriptura. Inveni David
filium Iesse virum secundum cor meum. Magnus iste vir an-
te subtilitatem divini examinis nichil ei auferatur
nichil addatur. sed sit secundum cor divine perfectionis
Sed iste maior est. Dixit enim David. Ecce enim in i. s. et i.
c. me mater mea. Ad Mariam autem Iesu interrogantem quomodo
fiet istud. quoniam virum non cognosco. Angelus ait. Spiritus
sanctus superveniet in te. et virtus altissimi obumbra-
bit tibi. De illo dicitur. Iuravi David servo meo usque in e-
ternum preparabo semen tuum. et edificabo in generationem
et generationem sedem tuam. De isto dicitur. Erunt reges
nutricii tui. et regine nutrices tue. vultu in terram di-
misso adorabunt te. et pulverem pedum tuorum lingent.
Et iterum. Gens enim et regnum quod non servierit tibi peribit.
Et in psalmo. Postula a me et d. t. g. h. t. et p. t. t. terre.
Reges eos i. v. f. t. v. f. confringes eos. Et alibi. Thro-
nus tuus deus in seculum seculi virga equitatis virga regni
tui.

De exercitu vero Iesu scribitur. Et vocabuntur in ea
fortes iustitie plantatio domini ad glorificandum. Et
sapientia. fortitudo et decor indumentum eius.
Letabuntur coram te. sicut qui letantur
in messe sicut qui exultant victores capta
preda. quando dividunt spolia. Salemon filius eius. qui
sapientia et dignitate supergressus est omnes reges
qui fuerunt ante se videamus an non eat pre fulgore in con-
spectu fulgoris Iesu. De illo refert scriptura quia
in diebus eius pax habundavit in Israel. De Iesu propheta.
Quam pulchri inquit super montes pedes annunciantis
et predicantis pacem annuntiantis bonum predican-
tis salutem dicentis Syon. regnabit deus tuus. Et
ut omnem magnificentiam eius deprimam audiamus
in evangelio loquentem. Regina austri surget in iudi-
cio cum generatione hac. quia venit a finibus terre audi-
re sapientiam Salemonis. Et ecce plus quam Salemon
hic. Natus in diversorio. positus in presepio. Ecce quod
dixit. Ecce plus quam Salemon hic. Helyas in turbine
raptus in celum dignitatis sue magna profert indicia.
Conferamus et huic. Oratione sua celum. clausit ne
plueret annis tribus et mensibus vi. De Iesu scriptum est. Qui
ligat aquas in nubibus. ne erumpant pariter deor-
sum. Et iterum. Si continuerit aquas. omnia siccabuntur.